



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 14. De veteri lege,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

Paulus usurpat ex Ierem. cap. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum super scribam eam.] Atque ut variæ dantur propositiones practicæ seu agentis regulæ per syneresim notæ: sic etiam dantur per fidem notæ; ostendentes quid ad supernaturalis finis consecutionem à nobis requiratur: quales magna ex parte sunt in sacris libris expressæ. Dico magna ex parte: quia neque tales omnes, neque solæ, sunt iuris diuini. Nam in nouo etiam testamento multæ sunt leges humanæ: ut quod mulier oret velato capite, nec tondeatur, in priori ad Corinth. cap. 11. Quod Episcopus non sit neophytus aut bigamus. 1. ad Timoth. 3. Abstinentium esse à sanguine & suffocato. Act. 15. & nonnullæ aliæ. Deinde leges de Sacramentorum formis & materiis diuinae sunt: nec tamen omnes in sacris literis expressè continentur: quod idem est dicendum de aliis traditionibus diuinis.

Porto dictamen practicum fidei perinde ac dictamen syndere seos, applicatur per conscientiam ad iudicandum in particulari de actibus humanis, an peccata sint necne: ita ut super ea re nihil speciale occurrat addendum dictis in præced. tractatu.

Qualitates & effectus diuinae legis positivæ.

129. **Q**ualitates legis diuinae positivæ sunt ex quarum ante meminimus ex Psal. 18. nepe quod immaculata sit, seu omnis erroris vitique experta. Item quod conuertens animas, seu reformatrix sit animarum: quibus interiores infirmitates ipsarum detegendo, facit eos fugere ad medicum qui eas sanat. Præterea quod fidelis, id est, firma & immutabilis: ut potest ab eo instituta qui merito dicit Malach. 3. Ego Dominus & non mutor. Denique quod sapientiam præstans paruulis: id est, instructio sit superna uerbalis abscondita à sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis; quam uerba capiunt, & sapida experiuntur, non elati & opinionibus turgidi: sed humiles, & in obsequium Christi captiuantes intellectum.

130. **E**ffectus eiusdem legis præcipui sunt. Ex parte quidem intellectus illuminare: iuxta illud citati Psal. 18. Præceptum Domini lucidum; illuminans oculos.] Ex parte uero uoluntatis hanc suam affectu complere; iuxta illud quod ibidem additur: Iudicia Domini uera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora, super mel & fauum.] Qui duo effectus constituunt illam huius uitæ felicitatem, de qua psalm. 93. Dominus scilicet cogitationes hominum quoniam uanæ sunt. Beatus homo quem erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.] Ad prioris autem effectus consecutionem disponimur imploratione diuini auxilij orando cum Dauid in Psal. 118. Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.] Ad consecutionem uero posterioris, obseruatione ipsius legis: ut patet ex eo quod incit. Psal. 118. ad uerba illa, *dulciora super mel & fauum*, additur. Et enim seruus tuus custodit ea.]

De diuisione legis diuinae post in uniuersè sumptæ.

131. **O**bseruandum est ex D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 5. cum dupliciter possint aliqua distingui: tum ut specie omnino diuersa, sicut bos & equus: tum ut perfectum & imperfectum in eadē specie sicut puer & uir. In prioris modo legem diuinam positiuam, uelut simplicissimam esse, ab unico omnium moderatore profectam: & ad unicum finem ordinatam: qui est hominis ita in hac, quam in futura uita, coniunctio cum Deo: uelut enim est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem; ad Rom. 3. Posteriore uero modo distingui in ueterem & nouam: congruenter ei, quod ad Galat. 3. status ueteris legis comparatur statui pueri existētis sub pædagogico, & status nouæ legis, statui uiri, qui iam non est sub pædago. Quæ comparatio illustratur per illud quod lex uetus maxime dirigeret actiones externas: idque pollicitatione bonorum corporaliū & temporalium (qualis Exodi 3. facta fuit, terrefluentis lacte & melle) atque in cussione timoris poenarū temporalium: perinde ac pædagogus solet puerū, ætate iudicioque infirmum. Lex uero noua dirigit imprimis actiones internas, & hoc pollicitatione spiritualium & æternorum bonorum: atque erga Deū timore, quem parit charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis ad Rom. 5. prout regi solent, qui matura sunt ætate & iudicio.

CAPVT XIV.

De ueteri lege.

SUMMARIVM.

132 Cum promissus sit Christus omnibus gentibus, cur soli populo Israelitico data sit lex uetus.

133 Ratio, quod ipsi semen essent Abrahæ, de quo nasciturus erat Christus.

134 Lex uetus obligauit solos Iudeos, ceterisque fuit tantum in consilio.

135 Præcepta ueteris legis, triplicia moralia, ceremonialia, & iudicialia.

136 Ceremonialia & iudicialia nunc neminem obligant.

137 Ceremonialia sunt mortifera, & cur.

138 Iudicialia non iura, & cur.

139 Cur Christiani ueteris Testamentum seruent & uenerentur.

140 Quatenus in iudicio de peccatis, usus sit illius.

Quatenus in iudicio de peccatis, usus sit illius. Vanius Christus non tantum Israelitis, sed etiam gentibus promissus fuerit, iuxta illud Isaïæ 49. Patum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & effices Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus uicique ad extremum terræ: & illud D. Petri Act. 10. In ueritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timerit eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Diuina tamen uoluntas fuit, legem ueterem tanquam uenturi Ecclesiæ sponsi figuram (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 10. Omnia in figura continebantur illis) ad terram à celo transmittere tradendam uni populo Israelitico: non quidem ob eius aliquas speciales iustitias, cum durissimæ ceruicis populus esset, ex cap. nono Deut. sed ob promissionem factam Abrahæ, ex quo ille traxit originem.

Fides enim & obedientia Abrahæ uolentis Deo iubente unicum filium suum dilectum immolare: meruit saltem de congruo, ut dato quod Deus ipse statuisset filium suum carnem humanam assumere, ex eiusdem Abrahæ potius, quam ex alterius semine nasceretur, pro ut potest non obscure deduci ex illis uerbis Gen. 22. Per memet ipsum iurauit, dicit Dominus: eo quod fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me: Benedicam tibi, & benedicetur in semine tuo (id est in Christo, ut D. Paulus interpretatur ad Gal. 3.) omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Ex Abrahæ autem filius, hæres dicitur promissionis constitutus est solus Isaac per illud Gen. 21. In Isaac uocabitur tibi semen.] Et ex filio Isaac, solus Iacob per illud Gen. 25. Maior seruiet minori.] & illud Malach. 1. Iacob dilexi Elau autem odio habui.] Quare congruum fuit, ut præ cæteris, populus Israeliticus, totus ex posteris Iacob constaret, acciperet eam legem quæ mundo prænuuntiat: atque Christi aduentus; tradaturque specialis cultus religionis, quem Deus usque ad eundem aduentum, sibi exhiberi uolebat. Sic D. Paulus ad Rom. 9. cum talis prerogatiua populi Israelitici meminisset, inueniens, Optabam ego anathema esse pro fratibus meis qui sunt Israelitæ, quoniam ad optio est filiorum, & gloria testamenti & legis, & obsequium & promissa. Icausam illius fuisse supra dictam promissionem iudicauit cum subiunxit: Quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Accedit quoque illa ratio, quam in præcedenti cap. ex D. Tho. reuulimus: quod ob Christi reuerentiam congruum fuerit, populum ex quo nasciturus erat prerogatiua sanctitatis habere; ideoque legem accipere quæ donec Christus perfectæ sanctitatis author ueniret, in officio contineretur, prout solet puer à pædago iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. Nusquam ueniret fides, in lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat: itaque lex pædagogus non ster erat in Christo Iesu. At ubi uenit fides, iam non sumus sub pædago.

Ex quibus D. ipse Thomas prima secundæ quæst. 98. art. 5. infert, ad ueteris legis obseruationem obligatos fuisse solos Israelitas: unde & ipsi sunt promulgata Exodi cap. 20. & sequentibus; cæteris autem populis fuisse tantum in consilio: perinde ac laicis est status Clericorum: & secularibus status religiosorum: nempe ut perfectior & securior: non autem necessarius, ut extra eum salus obtineri non possit. Sicque accipiendum est illud Exod. 12. Si quis peregrinorum in uestram

voluerit transire coloniam, & facere phala domini, circumcidetur prius omne masculinum eius; & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Quod consilium sequuti sunt illi, de quibus dicitur Esther 8. Præter alierius gentis & electæ, eorum religioni & cæremoniis iungebantur.

De obligatione præceptorum veteris legis.

135. **N**otandum tamen est cum lex ipsa vetus tria præceptorum genera contineret, prout indicatur illis verbis Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, cæremonia atque iudicia que mandauit Dominus vobis.* primum moraliam, de his quæ naturali ingenij lumine cognoscuntur agenda esse vel fugienda: vt actus virtutû & vitiorum: secundum cæremonialium, de sacrificiis & cæremonijs quibus Deus specialiter coli volebat: tertium iudicialiû, de ijs, quæ pertinerent ad humanam societatem ritè seruandam in populo, à quo ob Christi reuerentiâ exigebatur prærogatiua sanctitatis: cuiusmodi præceptorum cognitio, naturali ingenij lumine haberi non potuit, sicut nec cæremonialium; etiam si generaliter ratio doceat, in omni societate humana retinendum esse debitum ordinem hominum inter se: Deoque futurum cultum deferendam esse & sacrificium offerendum. Cum in quâ lex vetus tria hæc præceptorû genera contineret, moralia obligabunt omnes, sicut & nunc obligant adhuc; non quidem vt præcepta veteris legis, & in veteri Testamento tradita, vt bene notat Sotus in 2. de iust. & iure quest. 5. art. 4. concl. 2. sed vt præcepta legis naturæ; quæ vim & efficaciam habent ex ipso naturalis rationis dictamine.

136. Cæremonialia verò & iudicialia, solos Iudeos obligabant: & hoc non tantum sub pœna in foro externe; sed etiam sub culpa in foro interno: vt argumētum est, quod in sacra Scriptura, passim illa quæ ab eis aduerfus talia præcepta committebantur, arguantur tanquam peccata. Nunc autem deminuit, ne quidem ex Iudeis, obligant vt D. Paulus in epist. ad Rom. & ad Galat. & ad Hebr. ostendit. Vnum argumentum ipsum attigisse sufficit quod in cap. 8. epist. ad Hebr. sumit ex Ierem. cap. 31. vbi Deus pollicitus erat nouum Testamentum. Dicendo, inquit D. Paulus, notum, vt etiam prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.]

137. Cæremonia sic mortua est lex vetus, vt præcepta illius cæremonialia facta sint obseruantibus mortifera; non item iudicialia. Rationem D. Thomas 1. 2. quest. 104. art. 3. reddi: quod cum vitæque fuerint præfiguratiua Christi & Ecclesiæ Christianæ, ac Sacramentorum nouæ legis, iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 10. Omnia in figura conuincunt illis: cæremonialia principaliter instituta fuerunt ad præfigurandam Christi & Ecclesiæ Christianæ mysteria quæ eius futura. Quo fit vt obseruari nequeant absque præiudicio veritatis fidei: quâ profremitur illa mysteria iam esse completa. Et quia facere aliquid cum præiudicio veritatis fidei, peccatum est mortale: fit quoque, vt talis obseruatio sit mortifera, etiam vsurpanti illam ex deuotione, vt circumcidenti se ex deuotione inuitandi Christum, prout contra Caietanum Sotus in cit. art. 4. versus finem, recte ostendit. Et satis patet ex verbis Apostoli ad Galat. 5. Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest.]

138. Iudicialia verò non fuerunt principaliter instituta ad præfigurandum, sed ad ordinandum statum & formam populi, ex quo Christus nasciturus erat: minus illi populo omnia contingere in figuris; ideoque postquam Christus venit, & pro humano genere dignatus est mori: illa cessarunt quidem, vimque amiserunt obligandi; quia mutatus est eiusdem populi status, ob quem retinendum & seruandum obligabant (ad quod facit illud ad Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translato fiat) non tamen mortifera sunt sicut cæremonialia: quia cum de se non ordinarentur ad præfigurandum; obseruatio ipsorum absolute non præiudicat veritati fidei. Vnde si Princeps aliquis præciperet eam in suo regno obseruari, nec ipse peccaret præcipiendo, nec subditi obediendo: ex eodem D. Thom. in cit. art. 3. nisi forte obseruarentur, vel obseruari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione: quia ex tali intentione obseruatio esset mortifera eadem ratione qua obseruatio cæremonialium.

139. Consequens est ex dictis. Christianos in sacro canone obseruare ac venerari veteris Testamentum, non quod præ-

ceptis illius obligentur. Nam à tali obligatione perinde liberati sunt ac vidua (quod est exemplum D. Pauli ad Rom. 7.) à iure matrimonij libera est mortuo viro; sed quod eis conferat ad notitiam mysteriorum Christi, quæ in illo prophetata fuerunt: ad illorumque confirmationem: voluerit ipsum legatur & intelligatur; prout D. Aug. epist. 19. annotauit; congruenter et quod Dominus dixit Iudeis Ioan. 5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonij perhibent de me.] Et paulo inferius: Si crederetis Moysi, crede etis fortitan & mihi: de me enim ille scripsit.]

140. Consequens est etiam quod cum lex ex vi obligandi habeat quod sit regula iudicandi de peccatis: & vt Sotus notauit in cit. concl. 2. nullum testimonij veteris legis, prout tale, possit Christianis proponi tanquam vim habens obligandi: consequens est inquam, nihil ad hoc nostrum institutum pertinere vt de illius præceptis dicamus: nisi de moralibus: non quidem vt illius, sed vt legis naturæ sunt præcepta: aut etiam nouæ legis. Ea verò Decalogo continentur vel ad eum reducuntur, ex quo de peccatis iudicandi rationem, ex instituto in sequenti tomo persequemur, iuuante Deo.

CAPVT XV.

De noua lege.

SVMMARIVM.

- 141 Lex noua cur sic dicta.
 - 142 Illius à lege veteris differentia, quod omnes obliget, nec sit timoris seruilis, sed filialis.
 - 143 Lex noua consistit potissimû in gratia Spiritus sancti & charitate.
 - 144 Nouæ legis præcepta duplicia, quæ sub eam cadant, quæque non cadant.
 - 145 Moral' a sunt eadem in noua lege qua in veteri: sed facta auctiora.
 - 146 Omnia reuocantur ad præcepta Decalogi, & quomodo.
 - 147 Lex noua vigeat vsque ad finem seculi.
 - 148 Potestas Pape circa eam, quodque non semper obliget ad mortale.
141. **L**ex diuina positam dicitur noua, respectu veteris antea descriptæ; quam euacuauit ex cap. 2. Epist. ad Ephes. vò quidem illam destruendo sed perficiendo adimplendoque: dicitur, quæ erat vmbra futurorum ex cap. 2. Epist. ad Coloss. superaddidit veritate vmbra: petinde ac imago carbone adumbrata, non destruitur superadditione viuorum colorum, sed perficitur. Hinc Dominus Matth. 5. ait, Non veni legem solvere, sed adimplere: & Apostolus ad Rom. 3. An igitur per fidem destruiamus legem? abut, sed statuiamus.

142. Non solos autem Iudeos sicut olim vetus, sed omnes gentes lex noua obligat, dicitur Domino Matth. vltimo Euntes docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcûq; mandauit vobis.] & Marti vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, &c.] Atque vt intelligatur quænam sint præceptorû genera p quibus obligatio imponitur, aduertendum est id quod iam ante attigimus; scilicet non nouæ legis à statu legis veteris in eo differre, quod hic fuerit quasi patuulorû qui nihil differunt à terrens ex cap. 4. ad Galatas: ille vero quasi virorû, eorumque; liberorû, si quidem ex eodem capite, non sumus ancille filij, sed libera: qualibetate Christus nos liberauit: qui ducuntur non timore seruili sed amore filiali. Vnde inquit idem Apost. ad Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorû Dei.]

143. Quæ cum ita sint, fit (quod notatum est à D. Thom. 1. 2. quest. 106. art. 1.) vt lex ipsa noua talem statum constituens, potissimû consistat vimque suam positam habeat in gratia Spiritus sancti, charitateque, quæ fide libus in Christu credentibus, nisi obicem ponat, datur: iuxta illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Et quia in tali animæ robore, quo voluntas humana ad conformandum se diuinæ præcipienti vel prohibenti, prompta expeditaque redditur: plus momenti inest ad vitæ sanctitatem, quam in præceptis quibus verbo aut scripto diuinitus tradito, diuina ipsa voluntas nobis proponitur ac intimatur: fit etiam vt status legis nouæ spectetur ex Spiritu sancti gratia seu interiore charitatis affectu: quæ legis nomine appellare nec alienum est à Scriptura sacra, cum D. Paulus ad Rom. 7. inclinationem appetitus sententiis vocet legem mem-